



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Archiepiscopo Ravenmati.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20020

rint, & excommunicatis sint absque dubio interdicha divina officia & ecclesiastica sacramenta, illud est usquequaque ad satisfactionem idoneam observandum, nec morientes sunt ad poenitentiam admittendi, nisi jurent se mandatis Ecclesie parituros, & abjurent dicto Imperatori prestita juramenta; nec, etiamsi juraverint, tradi debent ecclesiastica sepultura, si absque excommunicatorum & interdictorum obsequio nequeunt tumulari. Ad hoc autem, utrum pueri, cum patrum excommunicationi sint & interdicto suppositi, debeant baptisari, fraternitati tue taliter duximus respondendum quod cum baptisimus sacramentum necessitatis exilat, propter patrum delictum illud non debet talibus denegari. Datum Laterani xvi. Kal. Iulij, anno quartodecimo.

CYRINO SCRINIARIO
Vrbis

Epist. 75.
Ne graventur
de aliquo ob
sistat iuris
in Papa.
S Vper commissis nobis Ecclesiarum cura, & earum specialiter quae in urbe consistunt, quarum debemus potissimum indemnitatibus praecavere, gerentes sollicitudinem, prout convenit, diligentem, tibi dedimus in praecipis ut dicta quae super locatione ab Abbatisa monasterij sancti Cyriaci de urbe de bonis ipsius monasterij consanguineis suis facta confecerat, destrueres & deleres. Ne igitur tibi propter hoc, vel ab illis quibus locatio facta fuit, aut etiam a senatu, sive a quolibet alio, aliquo tempore gravamen aliquod inferatur, praesentium auctoritate statuimus, sub excommunicationis poena districtius inhibentes, ne quis te super hoc praesumat aliquo tempore molestare. Nulli ergo &c. institutionis &c. usque incursum. Datum Laterani i. Idus Iulij, anno quartodecimo.

CREMONENSI EPISCOPO,
& Albanensi electo apostolicae sedis Legato,
necnon & Abbati de Columba.

Epist. 76.
In Ferrariensi
Ecclesia idem
non possunt
paritari.
P Er litteras quas nobis olim vos, frater Cremonensis & filii Abbas, transmittere procurastis, intelleximus evidenter vos gratum & acceptum pariter habuisse quod de eligendo in Ecclesia Ferrariensi pastore, nominando sancti Iohannis Priorem, Archidiaconum Parmensem & magistrum Iordanum Rheginum Doctorem, aut quemlibet alium secundum quod vobis melius videretur, benigna vos instructione curavimus erudire. Vos autem cupientes mandatum nostrum executioni mandare,
Tom. II.

quia Priorem & Archidiaconum praeficere nimis grave propter consanguineos uni parti contrarios videbatur, ad promovendum illorum aliquem cautius evitastis, Iordanum vero apud Rheginum Doctorem neminem invenire valentes, fratrem Iordanum Paduanum, quem sciebatis opere ac sermone potentem, elegistis concorditer in pastorem. Verum cum hoc idem penitus recusavit, & Estensis Marchio capta Ferraria instanter peteret dilationem hujus electionis propter novitatem eventus nostris auribus intimandam, cumque praeterea quidam assererentur parati obicere vos vestro esse functos officio, quia vobis magis congruum videbatur ut cautionem reciperetis de rebus episcopi gubernandis ac disponendis, eidem electioni superfedere curastis, & quid superesset agendum, nostrae reliquistis beneplacito voluntatis. Nolentes igitur ut dicta Ferrariensis Ecclesia diutius pastoris solatio defraudetur, discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus quatinus ante omnia Deum praeculis habentes, eidem Ecclesiae provideatis personam idoneam in pastorem, ut ex hoc apud Deum & homines debeatis merito commendari. Quod si non omnes &c. tu, fili electe, cum eorum altero ea &c. Datum Laterani vii. Idus Iunij, anno quartodecimo.

ARCHIEPISCOPO
Ravennati.

F Raternitati tuae praesentium auctoritate mandamus quatinus castrum Argenteae taliter custodire studeas & munire quod ex eo non possis incurere aliquod detrimentum. Si vero id non poteris efficere per te ipsam, a dilecto filio nobili viro Marchione Estensi sufficienti cautione recepta quod ipsum fideliter custodiat ad opus Ecclesiae Ravennatis, illud eidem committere non postponas. Datum Laterani ii. Non. Iunij, anno quartodecimo.

Epist. 77.
Ve castrum
Argenteae custodia
diat.

ALBANENSI ELECTO
apostolicae sedis Legato.

C Vm Otto dictus Imperator, maledictus & excommunicatus, non cesset Romanam Ecclesiam impugnare, venerabilibus fratribus nostris Aquilegeni & Gradeni Patriarchis, Ravennati & Ianueni Archiepiscopis, eorumque ac Mediolanensis Ecclesiae suffraganeis, nostris damus litteras in mandatis & in virtute obedientiae districtè praecipimus ut excommunicationem in ipsum & fautores ejus pro-

Epist. 78.
De excommuni-
catione Ottonis Imperator.